

reditatis petitionis iudicium, donec falsi causa agatur. — § 2. Eorum iudiciorum, quae de hereditatis petitione sunt, ea auctoritas est, ut nihil¹⁹ in praedictum eius [iudicii] fieri debeat.

6. *Idem*, lib. 75, ad Edictum.

Si testamentum falsum esse dicitur²⁰, et ex eo legatum petatur, vel praestandum est oblata cautione, vel quaerendum, an debeatur. Et, si testamentum falsum esse dicitur, ei tamen, qui falsi accusat, si suscepta cognitio est, non²¹ est dandum.

7. *Idem*, lib. 14, ad Edictum.

Si quis libertatem ex testamento sibi competisse dicat, non debet iudex de libertate sententiam dicere, ne praedictum de testamento cognituro faciat: et ita senatus censuit. Sed et divus Trajanus rescripsit, differendum de libertate iudicium, donec de inofficioso iudicium aut inducatur, aut finem accipiat. — § 1. Ita demum autem sustinentur liberalia iudicia, si jam de inofficioso iudicium contestatum est: ceterum, si non contestetur, non expectantur [liberalia iudicia]. Et ita divus Pius rescripsit. [Nam] cum quidam Licinianus de statu suo quaestionem patiebatur, et, ne maturius pronunciaretur de conditione sua, nolebat ad liberale iudicium ire, dicens, *suscipiturum se de inofficioso testamento iudicium, et petiturum hereditatem*, quia libertatem, et hereditatem ex testamento sibi defendebat, divus Pius ait, si quidem possessor esset hereditatis Licinianus, facilius audiendum: quoniam esset hereditatis nomine iudicium suscepturus, et erat in arbitrio eius, qui se dominum esse dicit, agere de inofficioso testamento iudicium: nunc vero sub obtentu iudicii de inofficioso testamento ab ipso Liciniano non suscepti per quinquennium, non debere moram fieri servituti. Plane, summam aestimandum iudici concessit, an forte bona fide impleret iudicium de testamento: et, si id deprehenderit, praestituendum modicum tempus: intra quod si non fuerit contestatum, iubeat iudicem libertatis partibus suis fungi. — § 2. Quotiens autem quis patitur controversiam libertatis, et hereditatis, sed se non ex testamento liberum dicit, sed alias [vel] a vivo testatore manumissum, non debere impediri liberalem causam, licet iudicium de testamento moveri speretur, divus Pius rescripsit: adiectum plane in rescripto, *Dummodo praedicatur iudici liberalis causae, ne ullum adminiculum libertatis ex testamento admittat*.

8. *PAULUS*, lib. 16, ad Edictum.

Legitimam hereditatem vindicare non prohibetur is, qui, cum ignorabat²² vires testamenti, iudicium defuncti secutus est²³.

9. *ULPIANUS*, lib. 15, ad Edictum.

Regulariter definiendum est, *Eum demum teneri petitione hereditatis, qui vel ius²⁴ pro herede²⁵, vel pro possessore²⁶ possidet, vel rem hereditariam*,

10. *GAIVS*, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Licet minimam. — § 1. Itaque qui ex asse, vel ex parte heres est, intendit quidem hereditatem suam esse totam, vel pro parte, sed hoc solum ei officio iudicis restituitur, quod adversarius possidet: aut totum, si ex asse sit heres: aut pro parte, ex qua heres est²⁷.

11. *ULPIANUS*, lib. 15, ad Edictum.

Pro²⁸ herede possidet, qui putat se heredem esse²⁹. Sed an [et] is, qui scit se heredem non esse, pro herede possideat, quaeritur? et Arrianus lib. 2 de Interdictis, putat teneri: quo iure nos uti Proculus scribit. Sed enim et bonorum possessor pro herede videtur possidere. — § 1. [Pro possessore vero possidet praedo.]

12. *Idem*, lib. 67, ad Edictum.

Qui interrogatus, *cur possideat³⁰*, responsurus sit, *quia possideo*, nec contendet se heredem, vel per mendacium:

13. *Idem*, lib. 18, ad Edictum.

Nec ullam causam possessionis possit dicere; et ideo fur, et raptor³¹ petitione hereditatis tenentur. — § 1. Omnibus etiam titulis hic pro possessore haeret, et quasi inunctus est: denique et pro emptore titulo haeret: nam si a furioso emero sciens, pro possessore possideo. Item in titulo pro donato quaeritur, an quis pro possessore possideat; ut puta uxor, vel maritus³²? et placet nobis Juliani sententia, pro possessore possidere eum; et ideo petitione hereditatis tenebitur. Item, *pro dote*

19. L. 16, infr. de exceptione. — 20. L. 5, § 1 et 16, infr. de his quae ut indigno. — L. 6, C. ad leg. Cornel. de fals. — 21. L. 8, C. de his quibus ut indigno. — 22. L. 46, infr. de bonis liberti. — 23. L. 19, C. h. t. — 24. L. 13, in fin. infr. h. t. — 25. L. 11, in pr. infr. de acquir. vel omit. heredi. — L. 9, § 1, infr. eod. — L. 14, § 2, supr. quod met. caus. — 27. L. 1, § 1, infr. si pars hered. petatur. — 28. L. 33, § 1, infr. de usurp. et usucap. — 29. § 3, Inst. de interdict. — 30. L. 11, C. h. t. — 31. *Adde* L. 16, § 4, in fin. infr. eod. — 32. L. 16, infr. de acquir. vel omit. posses. — 33. L. 5, infr. de iure dot. — 34. L. 25, § 8, infr. h. t. — 35. d. L. 25, § 7, in fin. — 36. L. 2,

titulus recipit pro possessore possessionem. ut puta, si a minore duodecim annis, nupta mihi, quasi³⁵ dotem sciens accepi. Et si legatum mihi solutum est ex falsa causa scienti, utique pro possessore possidebo. — § 2. Is autem, qui restituit hereditatem, teneri hereditatis petitione non potest, nisi dolo fecit³⁴; id est, si scit, et restituit: nam et dolo praeritus³⁵ venit in hereditatis petitionem, quasi dolo desierit possidere. — § 3. Neratius lib. 6 Membranarum scribit, ab herede³⁶ peti hereditatem posse, etiamsi ignoret, pro herede vel pro possessore defunctum possedisse. Idem esse lib. 7 ait, etiam si putavit heres eas res ex [hac] hereditate esse, quae sibi delata est. — § 4. Quid, si quis hereditatem emerit: an utilis in cum petitio hereditatis deberet dari, ne singulis iudiciis vexaretur? Venditorem³⁷ [enim] teneri certum est. Sed finge non exstare venditorem, vel modico vendidisse, et bonae fidei possessorem fuisse: an porrigi manus ad emptorem debeant? Et putat Gaius Cassius dandum utilem actionem. — § 5. Idem erit dicendum, et si parvo [pretio] iussus vendere heres Titio hereditatem vendidit: nam putat dicendum Papinianus, adversus fideicommissarium dari actionem: ab herede enim peti non expedit per exiguum pretium habente. — § 6. Sed et si *retena certa quantitate, restituere* rogatus sit, idem erit dicendum. Plane si, *accepta certa quantitate, restituere* rogatus est, non putat Papinianus, ab herede petendam hereditatem: quoniam *pro herede, quod conditionis implendae gratia accepit, non possidetur*. Sed Sabinus in statu libero³⁸ contra: et id verius est: quia pecunia hereditaria est. — § 7. Idem et in eo, qui solus fructus ex hereditate retinet, dicendum erit: tenetur enim et is hereditatis petitione. — § 8. Si qui sciens alienam emit hereditatem, quasi pro possessore possidet: et sic peti ab eo hereditatem quidam putant: quam sententiam non puto veram. *Nemo enim praedo est, qui pretium numeravit⁴⁰*: sed, ut emptor universitatis, utili tenetur. — § 9. Item si quis a fisco⁴¹ hereditatem, quasi vacantem, emerit, aequissimum erit, utilem [actionem] adversus eum dari⁴². — § 10. Apud Marcellum lib. 4 Digestorum relatum est, si mulier hereditatem in dotem dedit, maritum pro dote quidem possidere hereditatem, sed petitione hereditatis utili teneri, sed et ipsam mulierem directam teneri, Marcellus scribit: maxime, si jam factum divorcium est. — § 11. Heredem autem etiam earum rerum nomine, quas defunctus pro emptore possedit, hereditatis petitione teneri constat, quasi pro herede possideat: quamvis [etiam] earum rerum nomine, quas pro herede, vel pro possessore defunctus possedit, utique tenetur. — § 12. Si quis absentis nomine possideat hereditatem, cum sit incertum, an ille ratum habeat, puto, absentis nomine petendam hereditatem, ipsius vero nequaquam: quia *non videtur pro herede, vel pro possessore possidere, qui contemplatione alterius possidet⁴³*, nisi forte quis dixit, cum ratum non habet, jam procuratorem quasi praedonem esse: tunc⁴⁴ enim suo nomine teneri potest. — § 13. Non solum autem ab eo peti hereditas potest, qui corpus hereditarium possidet, sed et si nihil. Et videndum, si non possidens obtulerit tamen se petitioni, an teneatur? Et Celsus lib. 4 Digestorum scribit, ex dolo eum teneri; *dolo enim facere eum, qui se offert petitioni⁴⁵*. Quam sententiam generaliter Marcellus apud Julianum probat: *omnem, qui se offert petitioni, quasi possidentem teneri⁴⁶*. — § 14. Item si quis dolo fecerit⁴⁷, quo minus possideat, hereditatis petitione tenebitur. Sed si alius nactus possessionem, quam ego dolo malo amiseram, paratus sit iudicium pati, Marcellus lib. 4 Digestorum tractat, [ne] forte evanescit adversus eum, qui desiit [possidere], litis aestimatio? et magis evanescere⁴⁸ ait, nisi potentis interest. Certe, inquit, si rem paratus sit restituere, indubitatum erit, evanescere: sed si is, qui dolo desiit, ante conveniatur, eum, qui possidet, non liberabit. — § 15. Item a debitore⁴⁹ hereditario, quasi a iuris possessore: nam et a iuris⁵⁰ possessoribus posse hereditatem peti, constat.

14. *PAULUS*, lib. 20, ad Edictum.

Sed utrum ex delicto⁵¹, an ex contractu debitor sit, nihil refert. Debitor autem hereditarius⁵² intelligitur is quoque, qui servo hereditario promisit, vel qui ante aditam hereditatem damnum dedit,

15. *GAIVS*, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Vel aliquam rem hereditariam subripuerit.

16. *ULPIANUS*, lib. 15, ad Edictum.

Quod si in diem sit debitor, vel sub conditione, a quo petita est he-

C. h. t. — 37. L. 16, § 5, infr. eod. — 38. L. 36, infr. de mortis caus. donat. — L. 29, in fin. infr. de statulib. — 39. L. 46, infr. h. t. — 40. L. 126, in pr. infr. de reg. jur. — 41. L. 53, in pr. infr. h. t.; L. 41, infr. de iure fisci. — 42. *Vide tamen* L. 2, C. de quadriennii praeser. — 43. L. 18, in pr. infr. de acquir. vel omit. posses. — 44. *Fac.* L. 4, C. si cert. petatur. — L. 16, in fin. infr. de admim. et peric. tut. — 45. L. 29, supr. de dolo malo; L. 43, infr. h. t. — 46. L. 28, infr. de rei vindicat. — 47. L. 25, § 8, infr. h. t. — 48. L. 25, § 9, infr. de solutione. — 49. L. 14, infr. h. t. — 50. L. 9, supr. L. 16, § 7; L. 18, in fin. infr. h. t. — 51. L. 13, in fin.; L. 14, in pr. infr. de serv. corrupti. — 52. *Arg.* L. 21, in fin. infr. de hered. institi.

C

de Cadaveribus punitorum. pag. 1636. lib. 43. tit. 24
de Calumniatoribus. 316. * 3. 6.
de Capite minutis. 359. * 4. 5.
de Captivis et postliminio. 1655. * 49. 15.
de Carboniano Edicto. 1182. * 37. 10.
de Castrensi peculio. 1664. * 40. 17.
de Censibus. 1694. * 50. 15.
de Cessione bonorum. 1375. * 42. 3.
de Cloacis. 1419. * 43. 23.
de Collatione. 1172. * 37. 6.
de Collegiis et corporibus. 1581. * 47. 2.
de Collusione detegenda. 1528. * 40. 16.
Commodati vel contra. 543. * 15. 6.
Communia praediorum tam urb. 438. * 8. 4.
Communi dividendo. 481. * 10. 3.
de Compensationibus. 593. * 16. 2.
de Conceptione Digestorum. 215.
de Concubinis. 807. * 25. 7.
de Concussione. 1577. * 47. 13.
de Conditione causa data. 521. * 12. 4.
———— ex lege. 537. * 15. 2.
———— furtiva. 535. * 15. 1.
———— indebiti. 525. * 12. 6.
———— ob turpem causam. 524. * 12. 5.
———— sine causa. 534. * 12. 7.
———— triticaria. 537. * 15. 3.
de Conditionibus et demonstrationibus. 1084. * 35. 1.
———— institutionum. 907. * 28. 7.
de Confessis. 1574. * 42. 2.
de Confirmando tutore vel curat. 814. * 26. 3.
de Confirmatione Digestorum. 218.
de Coniungendis cum emancipato lib. 1178. * 37. 8.
de Constitutionibus Principum. 238. * 1. 4.
de Contrahenda emptione. 628. * 18. 1.
de Contraria tutela et utili actione. 856. * 27. 4.
de Curatore bonis dando. 1386. * 42. 7.
de Curatoribus furioso et aliis etc. 866. * 27. 10.
de Custodia et exhibitione reorum. 1587. * 48. 3.

D

de Damno infecto. 1245. * 39. 2.
de Decretis ab ordine faciendis. 1688. * 50. 9.
de Decurionibus et filiis eorum. 1075. * 50. 2.
Depositi vel contra. 595. * 16. 3.
de Distractione pignorum. 693. * 20. 5.
de Diversis temporalibus praescripti. 1442. * 44. 5.
de Divisione rerum et qualitate. 246. * 4. 8.
de Divoritiis et repudiis. 784. * 24. 2.
de Doli mali et metus exceptione. 1441. * 44. 4.
de Dolo malo. 523. * 4. 3.
de Donationibus. 1265. * 39. 5.
de Donationibus inter virum et ux. 770. * 24. 1.
de Dote praelegata. 1028. * 53. 4.
de Dotis collatione. 1176. * 37. 7.
de Duobus reis constituendis. 1486. * 48. 1.

C

- de Cadaveribus punitorum. pag. 1636. lib. 43. tit. 24.
 de Calumniatoribus. 316. * 3. 6.
 de Capite minutis. 359. * 4. 5.
 de Captivis et postliminio. 1655. * 49. 15.
 de Carboniano Edicto. 1182. * 57. 10.
 de Castrensi peculio. 1664. * 49. 17.
 de Censibus. 1694. * 50. 15.
 de Cessione honorum. 1375. * 42. 5.
 de Cloacis. 1419. * 43. 25.
 de Collatione. 1172. * 37. 6.
 de Collegiis et corporibus. 1581. * 47. 2.
 de Collusione detegenda. 1528. * 40. 16.
 Commodati vel contra. 345. * 15. 6.
 Communia prædiorum tam urb. 438. * 8. 4.
 Communi dividendo. 481. * 10. 3.
 de Compensationibus. 595. * 16. 2.
 de Conceptione Digestorum. 215.
 de Concubinis. 807. * 25. 7.
 de Concussione. 1577. * 47. 15.
 de Condictione causa data. 521. * 12. 4.
 ——— ex lege. 537. * 15. 2.
 ——— furtiva. 555. * 15. 1.
 ——— indebiti. 525. * 12. 6.
 ——— ob turpem causam. 524. * 12. 5.
 ——— sine causa. 554. * 12. 7.
 ——— triticiana. 537. * 15. 3.
 de Conditionibus et demonstrationibus. 1084. * 35. 1.
 ——— institutionum. 907. * 28. 7.
 de Confessis. 1574. * 42. 2.
 de Confirmando tutore vel curat. 814. * 26. 3.
 de Confirmatione Digestorum. 218.
 de Conjungendis cum emancipato lib. 1178. * 37. 8.
 de Constitutionibus Principum. 258. * 1. 4.
 de Contrahenda emptione. 628. * 18. 1.
 de Contraria tutelæ et utili actione. 856. * 27. 4.
 de Curatore bonis dando. 1586. * 42. 7.
 de Curatoribus furioso et aliis etc. 866. * 27. 10.
 de Custodia et exhibitione reorum. 1587. * 48. 3.

D

- de Damno infecto. 1245. * 39. 2.
 de Decretis ab ordiné faciendis. 1688. * 50. 9.
 de Decurionibus et filiis eorum. 1675. * 50. 2.
 Depositi vel contra. 595. * 16. 3.
 de Distractione pignorum. 695. * 20. 5.
 de Diversis temporalibus præscript. 1442. * 41. 3.
 de Divisione rerum et qualitate. 246. * 1. 8.
 de Divortii et repudiis. 784. * 24. 2.
 de Doli mali et metus exceptione. 1444. * 44. 4.
 de Dolo malo. 325. * 4. 5.
 de Donationibus. 1265. * 59. 5.
 de Donationibus inter virum et ux. 770. * 24. 1.
 de Dote prælegata. 1028. * 53. 4.
 de Dotis collatione. 1176. * 37. 7.
 de Duobus reis constituendis. 1486. * 48. 2.

reditas, non debere eum damnari: rei plane iudicata⁵⁵ tempus spectandum esse secundum Octaveni sententiam, [ut] apud Pomponium scriptum est, an dies venerit. Quod et in stipulatione conditionali erit dicendum. Si autem non venerit, cavere officio iudicis debeat de restituendo hoc debito⁵⁶, cum dies venerit, vel conditio extiterit. — § 1. Sed et is, qui prelia⁵⁷ rerum hereditarium possidet: item qui a debitore hereditario exegit, petitione hereditatis tenetur. — § 2. Unde Julianus lib. 6 Digestorum ait, ab eo, qui petit hereditatem, et litis aestimationem consecutus est, hereditatem peti posse. — § 3. Non solum autem a debitore defuncti, sed etiam a debitore hereditario⁵⁸ peti hereditas potest. Denique ab eo, qui negotia hereditaria gessit, et Celso et Juliano videtur peti hereditatem posse. — Sed si heredis negotium gessit, nequaquam: ab heredis⁵⁹ enim debitore peti hereditas non potest. — § 4. Julianus scribit, si is, qui pro herede possidebat, vi fuerit dejectus, peti ab eo hereditatem posse, quasi a juris possessore, quia habet interdictum unde vi, quo victus cedere debet. Sed et eum, qui deiecit⁶⁰, petitione hereditatis teneri; quia res hereditarias pro possessore possidet. — § 5. Idem Julianus ait: sive quis possidens, sive non, rem vendiderit⁶¹, petitione hereditatis eum teneri: sive jam pretium recepit⁶², sive petere possit, ut et hic actionibus cedat. — § 6. Idem scribit, patronum hereditatem petere non posse ab eo, cui libertus in fraudem alienavit⁶³: quia Calvisiana⁶⁴ actione ei tenetur: patroni enim iste debitor est, non hereditarius⁶⁵. Ergo nec ab eo, cui mortis causa donatum est, peti hereditas potest. — § 7. Idem Julianus scribit: si quis ex causa fideicommissi restituerit hereditatem, vel singulas res præstiterit, peti ab eo hereditatem posse: quia habet conditionem⁶⁶ earum, quæ sunt ex causa soluta, et veluti⁶⁷ juris⁶⁸ possessores est. Sed et si pretia rerum, quas distraxit, ex causa fideicommissi solvit, peti hereditatem ab eo posse: quia repetere potest. Sed his casibus actiones suas dumtaxat eum præstaturum: cum et res exstant, et potest petitor [etiam] per in rem actionem eas vindicare.

17. GAIUS, lib. 6, ad Edictum provinciale.

Quod si possessor hereditatis ob id, quod ex testamento heredem se [esse] putaret, legatorum nomine de suo solvit, si quis ab intestato eam hereditatem evincat, licet damnum videtur esse possessoris, quod sibi non prospexit stipulatione evicta⁶⁹ hereditate legata reddi, attamen quia fieri potest, ut eo tempore solverit legata, quo adhuc nulla controversia mota sit, et ob id nullam interposuerit cautionem, placet in eo casu, evicta hereditate, dandam ei esse repetitionem. Sed cum, cessante cautione, repetitio datur, periculum est, ne propter inopiam ejus, cui solutum est legatum, nihil repeti possit, [et] ideo secundum senatusconsulti⁷⁰ sententiam subveniendum ei est, ut ipse [quidem] ex retentione rerum hereditarium sibi satisfaciat, cedat autem actionibus petitori, ut suo periculo eas exerceat.

18. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum.

Item videndum, si possessor hereditatis, venditione per argentarium facta, pecuniam apud eum perdidit, an petitione hereditatis teneatur, quia nihil habet, nec consequi potest? Sed Labeo putat, eum teneri: quia suo periculo male argentario credidit: sed Octavenus ait, nihil eum, præter actiones, præstaturum; ob has igitur actiones petitione hereditatis teneri. Mihi autem in eo, qui mala fide possedit, Labeonis sententia placet: in altero vero, qui bona fide possessor est, Octaveni sententia sequenda esse videtur. — § 1. Si quis, cum peteretur ab eo hereditas, neque rei, neque juris velut possessor erat, verum postea⁷¹ aliquid adeptus est, an petitione hereditatis videatur teneri? Et Celso lib. 4 Digestorum recte scribit, hunc condemnandum, licet initio nihil possedit. — § 2. Nunc videamus, quæ veniant in hereditatis petitionem. Et placuit, universas res hereditarias in hoc iudicium venire, sive jura, sive corpora sint.

19. PAULUS, lib. 20, ad Edictum.

Et non tantum hereditaria corpora, sed et quæ non sunt hereditaria, quorum tamen periculum ad heredem pertinet: ut res pignori date defuncto⁷², vel commodatæ⁷³, depositivæ⁷⁴. Et quidem rei pignori datæ, etiam specialis petitio est, ut et hereditatis petitione contineatur: sicut illæ, quarum nomine Publiciana competit. Sed licet earum nomine, quæ commodatæ vel depositæ sunt, nulla sit facile actio, quia tamen periculum earum ad nos pertinet, æquum est eas restitui. — § 1. Quod si pro emptore usucapio, ab herede impleta sit, non veniet in hereditatis peti-

55. L. 36, § pen. infr. h. t. — 54. L. 41, supr. de iudiciis. — 55. L. 25, § 1, infr. h. t. — 56. L. 13, in fin., L. 14, L. 15, supr. eod. — 57. § 6, infr. h. t. — 58. Adde L. 12, in pr. supr. h. t. — 59. d. L. 13, § 4, supr.; L. 20, § 5, infr. eod. — 60. L. 25, § 1, infr. eod. — 61. L. 5, § 3, infr. si quis in fraud. patroni. — 62. L. 1, § 11, infr. d. t. — 63. § 5, in fin. supr. h. t. — 64. L. 2, § 4, infr. de condit. indebit. L. 51, in fin. infr. de peculio. — 65. L. 18, § 1, infr. h. t. Adde L. ult. infr. de servitut.; L. 5, § 3, infr. de itinere. — 66. L. 15, in fin. supr. h. t. — 67. L. 1, in pr. C. cod.; L. 5, § 6, infr. si cui plus, quam per leg. Falcid. — 68. L. 20, § 6, infr. h. t. —

tionem: quia heres, id est petitor, eam vindicare potest: nec ulla exceptio datur possessori. — § 2. Veniunt et hæc res in hereditatis petitionem, in quibus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem: veluti si juraverat defunctus petitoris rem non esse, et decesserit: debent hæc quoque restitui. Immo et si possessor sua culpa⁷⁵ eas amiserit, tenebitur hoc nomine. Idemque erit et in prædione, licet hic propter culpam non teneatur: quia nec hic debet has res retinere. — § 3. Servitutes in restitutionem hereditatis non venire, ego didici: cum nihil eo nomine possit restitui, sicut est in corporibus, et fructibus: sed si non patiat ire, et agere, propria actione convenietur.

20. ULPIANUS, lib. 15, ad Edictum.

Item veniunt in hereditatem [etiam] ea, quæ hereditatis causa comparata sunt: ut puta mancipia, [pecoraque, et si qua alia,] quæ necessario hereditati sunt comparata. Et si quidem pecunia hereditaria sint comparata, sine dubio veniunt: si vero non pecunia hereditaria, videntur erit: et puto etiam hæc venire, si magna utilitas hereditatis versetur: pretium scilicet restitutorio herede. — § 1. Sed non omnia, quæ ex hereditaria pecunia comparata sunt, in hereditatis petitionem veniunt. Denique scribit Julianus lib. 6 Digestorum, si possessor ex pecunia hereditaria hominem emerit, et ab eo petatur hereditas, ita venire in hereditatis petitionem, si⁷⁶ hereditatis interfuit eum emi: at si sui causa emit, pretium venire. — § 2. Simili modo, et si fundum hereditarium distraxit, siquidem sine causa, et ipsum fundum⁷⁷, et fructus in hereditatis petitionem venire: quod si aris exsolvendæ gratia hereditarii id fecit, non amplius venire, quam pretium. — § 3. Item non solum ea, quæ mortis tempore fuerunt, sed si qua postea augmenta hereditatis accesserunt, venire in hereditatis petitionem: nam⁷⁸ hereditas et augmentum recipit, et deminutionem. Sed ea, quæ post aditam hereditatem accedunt, si quidem ex ipsa hereditate, puto hereditati accedere: si extrinsecus, non: quia personæ possessoris accedunt. Fructus autem omnes augment hereditatem, sive ante aditam, sive post aditam hereditatem accesserint. Sed et partus ancillarum⁷⁹ sine dubio augment hereditatem. — § 4. Cum prædiximus⁸⁰, omnes hereditarias actiones in hereditatis petitionem venire, quaeritur, utrum cum sua natura veniant, an contra: ut puta [est] quædam actio, [quæ] inficiatione crescit: utrum cum suo incremento, an vero in simplum venit, ut legis Aquiliæ? Et Julianus lib. 6 Digestorum scribit, simplum solutorum. — § 5. Idem recte ait, si noxali iudicio condemnatus sit possessor defuncto, non posse eum dedentem noxæ officio iudicis liberari: quia tamdiu quis habet noxæ dedendæ facultatem, quamdiu iudicati conveniatur: post susceptum iudicium non potest noxæ dedendo se liberare: susceptum autem per petitionem hereditatis. — § 6. Præter hæc, multa reperimus tractata et de petitione hereditatis, de distractis⁸¹ rebus hereditariis, de dolo præterito⁸², et de fructibus [de], quibus cum forma senatusconsulto sit data, optimum est ipsius senatusconsulti interpretationem facere, verbis ejus relatis: *Pridie idus Martias Quintus Julius Balbus, et Publius Juventius Celsus, Titius Aufidius, Oenus Severianus consules verba fecerunt de his, quæ [imperator] Cæsar, Trajani Parthici filius, divi Nervæ nepos, Hadrianus, Augustus [imperator] maximusque princeps proposuit Quinto nonas Martias, quæ proximæ fuerunt, libello complexus [esset], quid fieri placeat. De qua re ita censuerunt: cum antequam partes caducæ⁸³, ex bonis Rustici, fisco peterentur, hi, qui se heredes esse existimant, hereditatem distraxerint⁸⁴, placere, redactæ ex pretio rerum venditarum pecuniæ usuras non esse exigendas⁸⁵. Idemque in similibus causis servandum. Item placere, a quibus hereditas petita fuisset, si adversus eos iudicatum esset, pretia, quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum pervenissent, etsi ea ante petitam hereditatem deperissent, deminutione fuissent⁸⁶, restituere debere. Item⁸⁷ eos, qui bona invasissent, cum scirent ad se non pertinere, etiamsi ante litem contestatam fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnandos, quasi possiderent: eos autem, qui justas causas habuissent, quare bona ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quo⁸⁸ locupletiores ex ea re facti essent. Petitam autem fisco hereditatem ex eo tempore existimandum esse, quo primum scierit quisque eam a se peti, id est, cum primum aut denunciatum esset ei, aut lueris, vel edicto evocatus esset, censuerunt. Aptanda est igitur nobis singulari verbis senatusconsulti congruens interpretatio. — § 7. Ait senatus: *Cum antequam partes caducæ fisco peterentur. Hoc evenerat, [ut**

69. L. 4, supr. eod. — 70. L. 10, C. de pignorat. act. — 71. L. 3, § 5, infr. commodati. — 72. L. 7, § 1, infr. depositi. — 73. L. 25, § 2, infr. h. t. — 74. Adde L. 14, § 4, supr. de minor. — 75. L. 21, in fin. infr. h. t. — 76. § 12, infr. eod.; L. 51, infr. L. 2, C. h. t.; L. 178, § 1, infr. de verb. sign. — 77. L. 27, in pr. infr. h. t. — 78. L. 18, in fin. supr. eod. — 79. L. 16, § 5, supr. eod. — 80. L. 25, § 7, infr. eod. — 81. § 7, infr. h. t. — 82. § 12, infr. h. t. — 83. § 17, infr. h. t. — 84. § ult. infr. h. t.; L. 21, infr. h. t. — 85. L. 25, § 2, infr. eod. — 86. d. L. 25, § 11.